Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA

exhibens

ÆGRUM LABORANTEM PESTE,

Quam

IN ILLUSTRI AD SALAM ACADEMIA,

PRÆSIDE

VIRO

Nobilissimo & Excellentissimo

DN. GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO,

MED. DOCT. THEOR. P. P. MED. DUC. SAX. S. R. I. NATUR. CURIOS. ADJUNCTO GRAVISSIMO,

Dn. Patrono, Præceptore ac Hospite suo omni honoris ac observantiæ cultu ætatem devenerando,

Publico Philiatrorum censuræ subjiciet

In Auditorio Medico

horis consuetis

ad diem Martii, anni MDCLXXXI.


RESPONSURUS AUTOR

DANIEL HENRICUS Ulrich/

Guelpherbytanus. Duplicate

JENÆ,

TYPIS VIDUÆ SAMUELIS KREBSII.


BRITISH MUSEUM
SALE DUPLICATE
1787



PROOEMIUM.



EX malâ febrium, quæ terris incubuit, cohorte, nulla generi humano inſidias magis ſtruit quàm peſtis: inter omnes peſte nulla crudelior, nulla formidoloſior. Illa interdiu inſtar ſagittæ volat, ambulat in tenebris, vaſtat meridie.

Peſſima lues in extimâ orientis orâ exoriens Aſiam depopulari, transfretans Europæ fines, corporeo licet magis veneno, tranſilire, tot myriades mortalium exſtingvendo ſævire, in Auſtriâ, Bojohemiâ & vicinis regionibus magnam ſtragem edere viſa eſt. Mala contages ceu decumani fluctus præſens exitium & inundationem quaſi toti Germaniæ minari, plures ſalutem fugâ quærere & vindictam irati numinis effugere.

Cometes caudâ, quam forſan viſûs fallacia corpori affingebat, per vaſtiſſimam aëris regionem in immenſum extensâ, adeoque horribili conſpicuus jam peſtis metu ſemimortuis panicum incutiebat terrorem. Portendere & mortalibus minitari videbatur formidabile ſidus ſumma malorum genera, aut mortes hominum, aut famem funeſtam, aut bella cruenta.

Audax & timidum cor hominum mox ſupra modum exſultat, mox metu nimio pavet. Fulgentia cœli ſidera enarrant gloriam Creatoris, & hominem, cui os ſublime dedit, cœlumque tueri juſſit DEUS, ad piam cœle-

ſtium rerum contemplationem ducunt. Natura quicquid tota complectitur ambitu ſuo, nos ad timorem & amorem æterni numinis excitat.

Lux nova ſanè & fulgore ſuo mirabilis divinæ erga nos gratiæ certiſſimus præco, utinam & in poſterum! exſtitit. Cum enim mens præſaga mali futura extimeſceret, DEUS T. O. M. ἀπὸ μηχανῆς imminens malum à nobis avertit, & peſtiferam ac cœlo demiſſam luem aufert.

Miſsâ aliarum ægritudinum iliade, hac vice ſiſtimus hiſtoriam ægri horrendâ illâ labe infecti, quod feliciter evenire jubeat DEUS.

HISTORIA.

VIr XL annorum, habitûs carnoſi, temperamenti ſangvinei, gliſcente in urbe peſtis ſeminio, cum tempore æſtivo exercitio civili armario interfuiſſet, & calorem aëris juxta ac moti corporis frigido potu temperaſſet, obvio ſibi facto, cujus ædes contagio dicerentur infectæ, ſubito horrore totum corpus quati ſentit, hinc proclivitatem in vomitum, domum rediens laſſitudinem inſignem, anxietatem circa cor, pulſum citatum experitur, dolet caput, dormire neſcit, cumque parum theriacæ aſſumſiſſet, bubones die ſequente in utroque ingvine erumpunt, mens non conſtat. Petitur conſilium.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

MAlum, quo æger modò propoſitus ſatis periculoſè decumbit, ἀπὸ τοῦ πεσεῖν nomen ſortitum, peſtis eſt. Hæc quippe immaniſſimæ belluæ inſtar hominem inſidioſè invadit, ſubitò proſternit & corruere facit, quin ſæpius è medio tollit ac perimit.

Præſentiam maligni hujus hoſpitis innuunt ſigna

I. ESSENTIALITER INHÆRENTIA: malefidus invadendi modus, horror prægreſſus, & febris ſummè maligna, quæ plures promiſcuè corripit, cum bubonibus, ſubitaneâ virium proſtratione, & aliorum ſymptomatum congerie conſpicua. Unde

II. ESSENTIALITER CONSEQUENTIA ſeu ſymptomata id confirmant: ratione *actionis læſæ, naturalis*, proclivitas in vomitum inſignis; *vitalis*, laſſitudo, cordis anxietas, pulſus celer; *animalis*, dolor capitis, vigiliæ, ipſiusque mentis vacillatio.

III. CAUSÆ PRÆGRESSÆ, inprimis terror. De quibus inferius, ſub recenſione cauſarum remotarum commodior erit dicendi locus.

IV. ANALOGISMUS. Quicunque aliàs peſte laborarunt, ſimilibus, ſi non omnibus, tamen plerisque vexati ſunt ſymptomatibus, unde nemo non expertus hunc ægrũ etiam pro taliter affecto proclamabit. Notum eſt multiplici experientiâ, unam peſtem, ſaltim in individuis, ab aliâ diverſam, vel graviorem, vel mitiorem, nec iiſdem æquè, ſed modò his, modò illis ſymptomatibus eſſe conſpicuam. Hinc licet vix pathognomonicum ejus ſignum detur, cautio tamen eſt, & regula maximè obſervanda, peſte jam graſſante, non ſolùm quosvis morbos in eam mutari; ſed &, ſi vel leviſſi-

mè quis conqueratur, rariſſimè medicum falli, ſi peſtem eſſe dixerit. Præterea bubones, qui in utroque ægri ingvine ſeſe produnt, certiſſimum ſubdoli hujus hoſtis indicium ſunt.

Si conſideramus affectus hujus *Eſſentiam*, is pertinet ad claſſem rerum p. n. quæ actiones primò, immediatè & ſenſibiliter lædunt, ſeu ad morbos ſtrictè dictos, & quidem eos, qui communiter occultarum qualitatum, *Galeno* totius ſubſtantiæ, *Helmontio* & *Marco Marci* ideales dicuntur.

Sin *accidentia*; ratione *Numeri* non eſt unus, ſed multiplex, πολύμορφος. Præterquam enim, quod ſexcentorum ſymptomatum catervâ tyrannidem ſuam exerceat, ad morbos magnitudinis & ſolutæ unitatis, licet non niſi ſecundariò, referri poteſt, quatenus poſt in glandulofis partibus tumores ſeu bubones erumpunt, qui hinc exulcerantur & ſolutionem continui faciunt.

Ratione *Motûs*, eſt acutiſſimus, intra 24. horarum ſpatium vel citiùs quoque nonnunquam occidens.

Ratione *Magnitudinis*, eſt omnium maximus & graviſſimus, ob partem corporis principem primariò affectam, & hinc facultates omnes in machinâ humanâ ſummè læſas.

Ratione *Moris*, eſt contagioſus, ἐπιδήμιος, maligniſſimus & ſæpiſſimè lethalis. Peſtis itaque eſt morbus omnium periculoſisſimus, actiones omnes, inprimis vitales ἀθρόως καὶ βιαίως lædens, ad febrium præſertim malignarum naturam proximè accedens, adeò, ut non vereamur ipſam definire, ut diximus, per febrim malignisſimam, à miaſmate quodam peregrino, violentam ſanguinis reſolutionem intendente, originem trahentem.

SUB-

SUBJECTUM principale pestis est COR, fons caloris & animæ radicalis sedes, quâ læsâ homo de vitâ maximè periclitatur. Hanc partem omnium nobilissimam primariò hîc affici, probat omnium virium subita dejectio, & summa facultatis vitalis læsio, quam repentina inopinataque mors sæpissimè excipit. Notabile est, quod hoc loco cor collectivè & in concreto sumatur, cum partibus humorosis, seu sanguine propriè ita dicto & sero, & spirituosis, seu spiritibus vitalibus. Hoc ipsum verò non tàm quoad substantiam suam solidam parenchymaticam, quàm principaliter quoad fermentum, ipsi à primo ortu proprium & peculiare, cujus virtute balsamum vitæ seu sangvinem & spiritus vitales continuò generat & conficit, affici videtur. Hoc statim à fermento maligno ita corrumpitur, ut, loco spirituum vitalium, impuri, maligni generentur, qui dein, cum sangvine nimiùm volatilisato & venenosis atomis characterisato, per arterias, ceu canales, ad omnes partes amandantur.

Helmontius, cujus nobilissima anima in primæ culinæ propylæo regiam sibi exstruxerat, ventriculum, ut pro cujusvis morbi, ita & pro pestis principali subjecto agnoscit, cum actiones ventriculi inprimis lædi viderit. Certè hac ratione nec alia principaliora viscera, ut cerebrum, pulmones &c. sunt excludenda, quorum actiones in peste æquè ac ventriculi lædi ex symptomatibus propriis, ut deliriis, respirationis vitiis, facilè patescit. Et licet fidem habeamus *Helmontio* & *Diemerbroccio*, in peste & febribus malignis ventriculum escharam vel inflammationem contrahere; vix tamen ex eo inferre licet, hunc in iisdem principaliter affici.

Non ergò, nisi per consensum, ventriculus afficitur, dum à corde æquè ac alia viscera malignitatem accipit. Vel necess-

necessum est, distingvere inter locum & focum, seu subjectum morbi & causæ. Sic ventriculus aliquando primùm miasma venenosum excipere & causam fovere potest; hinc illud inane vomendi desiderium. De aliis quoque visceribus idem sentiendum. Seu potius

MINUS PRINCIPALE & ADÆQUATUM SUBJECTUM est tota M.S. & consequenter omnes corporis partes. Nam dum ista in continuo motu est, haud facilè unam invenias, cui characterem peregrinum non affricet. Dein fermento cordis ita deturpato, ut spiritus vel impuriores vel planè nulli conficiantur, fieri aliter non potest, quin omnia viscera, fermentis ipsorum propriis hoc modo simul enormiter vitiatis, in functionibus suis deficiant.

Ratio ergò quòd sæpius nunc hæc, nunc illa pars magis videatur esse affecta, & in unâ eademque peste non omnes iisdem symptomatis vexentur, est primò, quod vel fomes alicubi magis hæreat, vel pars quædam venenum prius exceperit. Deinde prout pars una præ aliâ sæpe seu naturâ, seu statu morbifico debilior & infirmior existit; ita mediante sanguinis circulo veneni truculentiam & sævitiam citiùs heîc experiri potest. Sic in quodam, cujus digitus bombardæ ictu læsus fuerat, natura venenum illuc protrusit & carbunculum excitavit.

Accedit etiam, quod idea pestilentis veneni specificè partium, hujus, illius, unius vel plurium fermentis magis infesta sit. Hinc est, quod symptomata, quæ uni pesti conjuncta fuerunt, in aliâ non æquè visantur. Hinc cephalalgiæ, pleuritides, peripneumoniæ, hæmoptyses, cardialgiæ, vomitiones, diarrhœæ colliquativæ, cruentæ, mictiones cruentæ in hâc vel illâ peste observatæ apud practicos leguntur.

CAUSA IMMEDIATA & PROXIMA est eadem, quæ febrium

febrium continuarum, ſed major & violenta. Differunt non ſpecie, ſed gradu, continuæ, malignæ & peſtis. Hæc quaſi eſt febris maligniſſima. *Sennertus* putat, cum peſte non ſemper, frequentiſſimè tamen febrim conjungi. Dixerim potius nunquam peſtem ſine febri affligere, etiamſi præſentiam ejus ſigna v. g. calor, pulſus & urina non æquè ſegnius indagantibus arguant. Calor externus minimè quaſi febrilis & vehemens apparet quidem, ſed dum maximè blanditur, tamen febrim occultat: ratio eſt, quod malignitas & intemperies internas partes magis obſidet, licet æger ipſe id non ſentiat, unde æſtus & calor internus inſtar cucurbitularum ex ſuperficie ſangvinem & ſpiritus ſeu calorem externum attrahit. Hoc fieri opinari licet, ſi in viſcere aliquo nobiliori & calidiori, corde, pulmonibus, ventriculo, hepate venenum cauſticum anthracem excitat, uti & aliàs in variolis viſcera labis haud immunia ſunt, adeo ut fœtus & viſcera ejus, in utero matris hoc morbo exſtincti, tuberculis conſperſa conſpecta ſint. Probabile etiam hoc fit, quod exanthemata maligna inciſione in cadaveribus factâ baſi ſuâ oſſibus vel tendinibus inſiſtant & paulatim in pyramidalem ſeu potius conicam figuram apice ſuâ in cuticulâ terminentur. Ita etiam quæ in peſte ipsâ ſub carbunculorum nomine in extimâ veſte erumpunt, ab extis originem trahunt, quod itidem ſectiones teſtantur. Hinc & quò calor externus mitior exiſtit, eò malignitas major concipienda eſt. Pulſus ſæpe bonus, non reverà, ſed apparenter, fallit & adſtantes, & medicos incautos, qui frequentem à celeri, rarum à naturali non diſcernere nôrunt. Urina ſæpe bona & ſanorum ſimilis, quod vel natura ſtatim ita labefactetur, ut ad coctionem nequeat inſurgere, vel non tam putredo, quæ levis, quàm malignitas urgeat.

Causa itaque est RESOLUTIO SANGVINIS, quod tum ex symptomatibus, tum inprimis ex curatione ipsâ manifestum fit, quæ scilicet tota fermè absolvitur medicamentis sangvinis & seri secessum ac resolutionem impedientibus.

Resolutio autem hæc est magis *violenta*, respectu aliarum febrium. Quò magis sangvinis & seri proportio violatur, & σύςασις dissolvitur, eò malignitas (quæ à resolutione ceu productum dependet & semper, saltim à posteriori, adest) est major, & vice versâ. Sic si superficiariè quasi id fiat, oritur ephemera, si gradu magis vel minus intensiori, continua, maligna, pestilens, si intensissimo, malignissima seu pestis. Est etiam magis *intentata* & in fieri, si enim penitus & perfectè sangvis resolvitur, inevitabilis mortis urget necessitas.

Hæc vero resolutio duplici modo contingit, vel enim sangvis ichorescit, vel serum, quod pro vehiculo inservit sangvini, ipsi quasi incoquitur & coagulatur. Utrumque in nostro affectu sæpius contingere innotescit ex phænomenis, partim fusionem, partim σύςασιν ac coagulum sangvinis & seri importantibus, & hinc sangvine modò ichorescente in vasis, modò, ut in ardentibus visitur, citra micam seri, rubello, cinabarino, miniato colore oculis blandiente & imponente.

MEDIATA PROXIMIOR, violentam sangvinis resolutionem intendens, quoad *essentiam*, est miasma malignum, maximè subtile, fermento mumiali sigillatum, ob sal volatile, acre, corrosivum, sui generis, & sulphur vim suam exserens.

Miasma hoc pollet qualitate peregrinâ, venenosâ, malignâ; hinc calidum innatum seu sangvinis crasin & motum violenter pervertit.

Maximè subtile & aëreum est; hinc subitò ad interiora penetrat, citissimè omnes corporis totius partes pervadit, idque ob sal summè volatile.

Sigillatum est fermento mumiali quodam. Instar fermenti massam sangvinis charactere suo inquinat, quod manifestum fit ex insigni illâ fermentatione & humorum in corpore ebullitione, ex diris symptomatibus facilè colligendâ. Deinde miasma malignum in vasa receptum, ac cum sangvine circulatum, ideas hujus recipit, quæ cum miasmate ex infecto corpore ad aliud sanum delatæ, si ideas magis sibi affines & symbolicas offendunt, iis sese promtè associantes, spiritus & sangvinem ob consvetudinem facilè in motum concitant, & affectum similem producunt. Hinc lues primùm inter consangvineos plus, quàm alios sævit. Hinc etiam pestis in singula animantia non grassatur, sed cum certâ tantùm animalium, scilicet hominum specie convenit. Hîc obiter notandum venit, quod si contagium aliquod in animantia bruta incidat, non æquè pestem appellari, sed respectivè, propriè verò hanc ad solum hominem restringi.

Porrò uti salia & sulphura intimam amicitiam gerunt & arctissimo sibi invicem connubio jungi amant; ita miasma pestilens ob sal acre, fermentativum, volatile sulphuri viscoso immersum agit & vim suam exserit. In sale quodam & quidem volatili consistere venenum, clarescit ex eo, quod tanta inducatur sangvini rarefactio, ut tandem, nisi quid impediat, nil aliud, quàm resolutio ejus & consequenter mors metuenda sit, non aliter, ac à liquore salino, tum lixivioso, tum alio, in animalis venas injecto, ipsum exstingvitur. Præterea notum est, fermentum contagiosum acidis quàm maximè figi. Tempore brumali, ubi aëris regio particulis salinis acidis nitrosis referta est, contagium se minus diffundit. Ignis in peste aëris purgatorium, quatenus acidum Gas in fumo sensibile obvio hosti compedes impingit. In præservatione individuali acidula, si quæ

alia, inprimis se usu commendant, & minus habent quod metuant ii, quorum latex vappescit, aut spiculis salinis, iisque acidis, scatet.

Sulphur simul magis vel minus peccare, inde patet, quod affectus soporosi sæpius etiam hîc conjungantur; quod inflammationibus partium glandulosarum seu bubonibus, aliquando & carbunculis, hoc malum terminetur, ut acidum obtundens non denuò laudemus.

Deinde etiam venenum pestilens non minus respectu sulphuris viscosi, cui inhæret, viscosum, tenax, lentum dici meretur, quo actuato & recluso demum violentiam prodit, & sese in immensum extendit. Sic miasma in corpore porosiori, vestibus, funibus vespillonum, per plures annos persistere & datâ occasione resuscitari potest, unde nova pestis exoritur.

Summa alias inter autores Medicos controversia agitur, quænam genuina pestis causa statuenda sit?

In solâ putredine pestem consistere plurimi existimârunt. Plures cum hæc nondum sufficeret, multifariam eandem finxerunt v. g. excellentem & magnam, sordidam ac profundam, conclusam, largam, tenacem & nescio qualem aliam.

Hi præter primarum & manifestarum qualitatum actionem parum dixerunt: nulla intemperies vel simplex vel composita eo gradu lædit, quo venenum pestilens. Uti ergò in peste putredo concedi potest & debet, ita tamen hæc, quocunque etiam modo explicetur, ad pestilentiam constituendam non sufficit. Et optimè putredini isti vox fermentationis substitui potest, quam sine putredine, & tamen cum aliquâ conjunctam licet concipere.

Ex recentioribus, quilibet suis hypothesibus innixi, varia ad pestem producendam simul concurrere statuunt. Sic

Chimici principiis suis, 🜔li, 🜍ri & ☿io, in statu vel resolutionis vel coagulationis consideratis multa tribuunt. Quidam venenum ∞cale, ⊖tale, ☿ale &c. concipiunt, hincque sangvinis resolutionem, vigilias, deliria &c. arcessunt. Alii aliquando venenum napelli æmulum esse & hinc coagulationem quasi sangvinis, affectusque soporosos oriri, credunt. Simul accusabunt heic vitia primæ coctionis *Faber*; succum nutritium *Angli*; Humorem pancreaticum *Sylvius*; Acorem suum *Helmontius*; Alcali & acidum *Tachenius*; Figuras exorbitantes *Cartesius*; Verminosam putredinem ejusdem patroni, *Kircherus*, *Langius* & alii.

Sennertus occultam, totâque naturâ cordi adversam qualitatem agnoscit.

Simon Paulli pestem consistere vult in 🜔le quodam volatili, peculiarem sangvinis corruptionem per fermentationem excitante.

Quod ad *essendi modum* attinet, (1.) *quantitate* heic insigni non opus est. Veneni pestilentis ἐνέργεια in minimo consistit ac sese exserit. Tantillum sufficit quod calore vitali actuatum extensione immensâ se expandit, alios inficit, eundo vires acquirit, per amplas orbis regiones sese actutum diffundit, & multis hominum millibus dat stragem.

(2.) *Qualitate* miasma gaudet malignâ, fermento cordis adversissimâ, omnimodam & violentam ejusdem destructionem intentante. Hæc quando cordi communicatur, ipsum officio suo desistere cogitur, & sangvinem laudabilem, purum, spiritus sinceros, lucidos, æthereos quasi & sufficientes producere nescit. Porrò ex mechanicâ notum est, si duo corpora particulas è diametro contrarias habentia combinentur, ex hâc contrarietate motum particularum fortiorem seu effervescentiam excitari. Simili-

militer fermento maligno cordi communicato (utrisque poris & atomis summè sibi contrariis) fieri non potest, quin analoga ebullitio & pugna exoriatur, hoc tamen discrimine, quod uti nec ad aliam quamvis effervescentiam, ita nec hîc necessariò acidum explicitum debeat concurrere. In hac pugnâ sulphureæ & salinæ volatiles, tum sangvinis, tum miasmatis peregrini, particulæ exaltantur, & efferantur magis, & massæ sangvineæ summa rarefactio inducitur.

(3) *Motu* denique tum *generationis*, tum *locali* venenum pestilens peccat. Hoc ipsum variis partibus inhæret, antequam ipsam regiam cum sangvine intrat. Venenum ejusmodi in corpore etiam generari posse, non facilè quis inficias ibit. Sæpissimè homines in morbos malignos incidunt, quorum causa non à veneno externo, sed ab internorum humorum corruptione arcessenda est; quidam instar canum rabie correpti, cum tamen nunquam à cane rabido essent læsi, ob vitium internum; quidni & venenum pestilens ab humoribus putrescentibus oriri possit?

Pars recipiens in peste semper est Cor. *Pars mandans*, seu cui miasma illud primùm communicatur, seu in quâ humores ita corrumpuntur, ut veneni naturam induant, potest esse varia. *Viæ*, per quas, sunt vasa revehentia, venæ & vasa lymphatica, illæ cum sangvine refluo, hæc cum latice miasma malignum in Cor eructant. Et hæc quidem si de interno fomite sermo sit, maximè locum habent, & suo modo in nostro ægro applicari commodè queunt, qui latitantem δυσκρασίαν motu, potu intempestivis aliisque in apricum produxit; potissimum tamen considerabimus externas quoque causas. Quis nescit immmediatè cùm aëre infecto μιάσματα attrahi in pulmones? Quis negabit affigi eadem bronchiis, & in sangvinis commercium venire prompteque in cor suscipi, sive immediatam admit-

tamus

tamus miſcelam, ſeu mediatam? unde communiter aliàs fiendi aſſignatus *modus* ὤσει καὶ ἕλξει perficitur & hoc loco. Pellit aër preſſione ſuâ continuâ, attrahit avidè pulmo, quo commercio ad cor facilè redundat inibi hærens malum.

CAUSÆ MEDIATÆ REMOTIORES ſunt quadruplices. Ex SUPRANATURALIBUS, ſi ullibi, forſan hoc loco maximè τὸ θεῖον Hippocraticum accuſari poteſt. Valdè enim obſcura eſt peſtis origo, neque adhuc cuiquam licitum fuit, accuratè ejus principia noſſe, ſi non in genere, ſanè in individuo, cur hunc illum corripiat, & interimat, alium non petat, hic nimirum eſt Dei digitus, meritò venerandus.

Ex NATURALIBUS eminet TEMPERAMENTUM SANGVINEUM. Quando nec 🜍reæ, ∘°∘oſæ, balſamicæ ſangvinis, nec humidæ, blandæ ſeri particulæ, vel quantitate, vel qualitate excedunt, ſed æquali proportione ſe invicem probè temperant, maſſa ſangvinea dulcis, ac temperamentum calidum & humidum exſurgit. Hoc, licet temperatè & benè ſe habens ſit optimum, exceſſibus tamen adeoque putredini valdè obnoxium eſt. Hinc qui ſangvine dulci gaudent, præ ſiccioribus, & ſerum ſalſius habentibus, ſi ad febres putridas ſunt proniores, ſecundum *Williſium de febr. cap. 9.* quidni etiam ad peſtem? Inprimis & hîc μίασμα in ſale volatili tenui conſiſtens à ſero proportionato, ceu vehiculo, facilè recipi & in actum produci potuit.

HABITUS CORPORIS carnoſus, ÆTAS media huic affectui ob eandem rationem valdè fuerunt commoda; nec minus huc facit SEXUS melior. Fœminæ enim, utpote frigidioris & ſeroſioris naturæ, minùs, inprimis ſi ritè per menſes exſolvantur, peſti videntur eſſe obnoxiæ, & licet eâ corripiantur, minùs tamen periculosè easdem decumbere, palam eſt.

Ex

EX NONNATURALIBUS excellit AER æstivus, calidus & siccus. Hic quatenus humores fermentando & rarefaciendo aliàs corpus ad febres malignas disponit, multum etiam conferre potuit. Aër, ventilationem calidi innati unicè procurans, in se quoad essentiam quidem & substantiam consideratur purissimum elementum est, & frustra à quibusdam in peste accusatur, quoad accidentia verò suspicione non absolvitur, dum à causis vel superioribus, ut astris, quæ suo modo & remotè ad pestem concurrunt, vel inferioribus, ut exhalationibus terrestribus vitium contrahere, sive contagium & atomos venenatas in poros suos recipere, &, uti vector est miasmatum particularum salino-sulphurearum, ad proportionata corpora deferre potest. Præprimis æstivo tempore, dum sole eccliplicam percurrente radii ejus directè magis clima nostrum feriunt, athmosphæra corpusculis igneis, sulphureis, solaribus maximè fœta est, miasma pestilens actuali calore rarefit & expanditur, pori habitus externi magis hiant & aperti sunt, unde contagium ex uno individuo in aliud promtè migrat & recipitur, tantoque magis seminium id propagatur, quò magis in corporibus invenit aptum ad intoxicandum sangvinem. Accedit, quod æger, si stationem suam relinquere noluit, interdum corpus aëri nocturno, licet temperato, humidiori tamen & putrilaginosis atomis referto, exponere coactus sit, quod & non infimam humoribus putredinem inducendi efficaciam habuit. Triplici verò ratione aëris vehiculo mediante contagium pestilens fermentativum machinam corpoream ingreditur:

1. Per *cannam pulmonum*, *εἰσπνοῇ inspiratione*. Aër per os & nares gravitate & pondere suo in pectus irruens, & ob elasticam suam virtutem orbiculares pulmonum vesiculas undiquaque distendens dum sangvini commiscetur,

mia-

miasma statim unà vasis & mediante particulari circulatione citissimo tramite sinistro cordis ventriculo cum nectare vivifico infunditur.

2. Per *œsophagum*, quatenus infectus aër vel sine vel cum alimentis ventriculum simul ingreditur. Unde miasma venenosum vel cum chylo per vasa chylifera massæ sangvineæ infertur, vel simulac ventriculo illapsum, statim ob aëreas, subtiles, volatiles particulas per totum corpus dispergitur eodem modo, quo aliàs medicamenta volatiliora & spirituosa analeptica in momento spiritus & cor reficiunt.

3. Per *poros* extimæ vestis, περιχύσει seu transpiratione, quâ aër plus alterat totum corpus, quàm εἰσπνοῇ, promtè igitur & hoc modo contagium in corpus suscipi potest. Ita illi, quorum corpus est densum, minùs præ aliis, quibus laxior & porosior cutis obtigit, contagis periculo expositi sunt.

VICTUS & prava alimentorum ratio malo vias patentiores reddidit. Procul omni dubio æger antea militum more variis diætæ erroribus indulsit, hinc & cruditates in primis viis, & pravi humores, accedente aliâ insuper causâ facilè fermentescibiles, in toto corpore cumulati sunt. Primarium autem inter causas omnes locum sibi vendicat potus frigidus æstuante à motu & calore aëris corpore assumtus. Hic, quatenus insignis ac subita alteratio corpori, & humoribus inprimis coagulatio quædam inducitur, ut pleuritidis & febrium, ita & pestis causa exsistit, ex eo fundamento, quod grassante jam peste alii affectus in eam promtissimè migrent. Accessit hîc insuper contagium, dum ægro nostro quidam occurrit, cujus ædes contagio jam erant infectæ.

Cœtera huc pertinentia, non minùs, quàm aliis mor-

bis, si modum excesserint, foribus pesti aperiendis aptissima fuerunt, nempe SOMNUS & VIGILIÆ, MOTUS & QUIES, EXCRETA & RETENTA, ANIMIQUE PATHEMATA. Quò terror, metus & imaginatio referenda, quantum enim hæc possint in peste, in propatulo est. Qui animum fortem ac intrepidum gerunt, archeum & spiritus fortificant, aut generoso Lyæi liquore atras leniunt curas, non facile à contagio tentantur. Contra obnubilatos ac metu quasi oppressos spiritus ideæ peregrinæ facili negotio subigunt. Alii gliscente contagio saltem sibi imaginati sunt, se jam peste affligi, & statim eos invasit malum: alii animo anxio & curis pleno lectum ingressi sunt, hinc somno inito phantasia tale quid sibi finxit, & miseri illi per insomnia laborare cœperunt, & manè eosdem peste correptos observare licuit. Hinc concinnè imaginatio pestis particularis dicitur, cui etiam affine est illud: Imaginatio ipsâ peste nocentior. Verùm puto, per terrorem, metum & imaginationem non tàm facilè posse pestem produci, nî semina pestilentiæ jam ante in corpore delitescant, & contra si hæc adsint, quatenus ab animi affectionibus spiritus & humores agitantur, facilè exsuscitari, & viam quasi regiam ad arcem microcosmicam ipsis sterni.

Ex PRÆTERNATURALIUM causarum classe se sistit contagium, id est, similis affectus per μίασμα, à morboso corpore communicatum, in alio corpore productio, sed cum juxta patientium dispositionem agant agentia, requiritur, ut corpus seminarium illud suscipiens sit aptum & dispositum. Sicuti subtilissima fulminis substantia non agit in crumenam, sed in aurum ipsi inclusum, & nævi non matri implantantur, sed fœtui; ita contagium non omnes promiscuè corripit, & quod inter bruta grassatur, hominem non facilè invadit, & contra.

Ut

Ut vero contagium eſt duplex, alterum, quod per contagioſi corporis contactum fit, ſeu immediatum, alterum, quod ad diſtans, ſeu mediatum; ita quoque duplex habet vehiculum, non ſolum aërem ſupra jam dictum, ſed & fomitem, id eſt corpora, quæ contagium excipere, retinere & communicare poſſunt, vel magis, vel minùs ad recipiendum apta. Hæc ſunt corpora ſolidiora, v. g. lapides, nummi, charta &c. illa rariora & poroſiora; quo pertinent veſtes, pelles animalium, item liquida, ut potus, ſalivali maximè fermento medicatus. In noſtro caſu aer ſufficit ſolus, ſpirituoſum ſeminium ex obviantis ſeu corpore ſeu veſtibus qui ſuſceperat.

Ex cauſis jam perluſtratis, dictoque modo ſe habentibus non potuere non oriri graviſſima ſymptomata. Hæc antea ſigni vicem obtinentia jam ordine iterum recenſenda, & explicanda veniunt.

1. *Subitus horror totum corpus occupat.* Ratio prima eſt, quod ſpiritus ex ambitu corporis ad fontem caloris revocentur. Quamprimum μίασμα malignum cum ſangvine cordi infunditur, inſtar hoſtis cujusdam omnia perturbat, & arcis hujus microcoſmicæ expugnationem ſtrenuè affectat. Hinc archéus quàm citiſſimè copias ſuas ſc. ſpiritus undique contrahit, quibuscum contra hoſtilem impetum inſurgit, & quantùm poteſt reprimit. Ita tamen comparatum eſt, ut, niſi imperator corporis auxiliares copias archeo mittat, parùm abſit, quin ipſe in hoc certamine ſuccumbat, hoſtique victas manus porrigat. Altera, quod humores ob heterogeneitatem (quæ ſi magis nitroſa, frigus & rigor oriuntur, ſecundum *Williſium l.c. cap.3.*) malignam, jam ipſis inductam, partem ſenſilem in ambitu corporis vellicant, panniculum carnoſum, qui per amplitudinem univerſi corporis veluti quartum commune ejus tegumentum

expanditur, & genuinum subjectum rigoris & frigoris putatur. *Vid. Riol. encheirid. anat. l. 2. c. 8. p. m. 81. & 82.* Vellicant musculos reliquos, quos etiam eandem sortem experiri vero maximè consentaneum. Cum verò expultrix harum partium hoc modo irritatur, rem molestam repellere nititur, & corpus concutitur. Hinc igitur iste horror & horripilatio cum agitatione membrorum conjuncta. Spirituum & consequenter caloris ad interiora recursus plurimum huc confert, dum poris coarctatis fuliginum exhalatio à calore interno non promovetur. Si enim vel in statu secundum naturam transpiratio paululum sufflaminetur, cutis adstrictio, spirituum & caloris recursus fiat à quacunque causâ v. g. illapsu aëris frigidi, terrore &c. ut humores excrementitii acres non continuò exspirent, statim horripilatio & frigoris sensus exoriuntur. Porrò cum inter reliquas partes, quibuscum cutis conspirat, præcipuæ sint orificium ventriculi & præcordia, symptoma præsens etiam mutuo harum membranearum partium consensui commodè adscribi potest. *Vid. Fernelius l. 4. de febr. c. 10. p. 486.* qui de præcordiorum cum habitu corporis cutaneo consensu eleganter disseruit.

2. *Proclivitas in vomitum insignis vexat.* Hæc accidit, vel iterum à causâ privativâ, quatenus in omni rigore febrili, si membranæ totius corporis convelluntur, ventriculus etiam membranosus in consensum trahitur, & inprimis quoad orificium sinistrum spasmo contractus sensum molestiæ excutere tentat; vel, quòd malignitas cum sangvine per arterias ad ventriculi os, ob multiplices nervorum insertiones valde sensile, delata expultricem stimulat; vel etiam, quòd virus mortiferum unà cum salivali humore continuò defluente primùm ad ventriculum appulsum hostilitatem actutum prodit.

3. *Lassi-*

3. *Lassitudo spontanea ulcerosa sentitur.* Ut debilitas illa, quæ in progressu morbi accidit, à debilitatis & depauperatis spiritibus, quibus absentibus langvent motus & sensus, unicê accersenda est, *Vid. Theorem. Exc. D.D. Præsidis p. 64.* ita hic sensus molestiæ, debilitas & ad motum animalem ineptitudo oritur & à gravatis spiritibus, nec liberè in ambitu motis, & à sangvine charactere novo accepto ebulliente, & halituosâ suâ qualitate vasa & carnem musculosam onerante ac distendente.

4. *Anxietas præcordia infestat.* Partim ob malignitatem ibidem jam hospitantem, diaphragma distendentem, ventriculi os sensibilissimum vellicantem. Exosculamur tamen Viri *Excell. Dn. D. Meibomii* sententiam, illos circa foveam cordis dolores sæpius huic minus rectè adscribi, rectiùs inferiori ventriculi orificio. *Vid. Exerc. IV. ad Th. Barthol. Anat. reform.* Quò litigiosi cystidis felleæ & pancreatis succi cum chylo confluentes si pertingunt, effervescentias p. n. uti aliàs excitare solent, sic & iidem præprimis sale acri peregrino embryonati hîc anxietatum faces accendere probabile admodum est. Partim etiam, quod non solum venenum, sed & sangvis cum spiritibus nimiâ copiâ & solito majori impetu cor obruunt, & fibras in thalamis seu ventriculis ejus distendunt, unde necessariò dolor, cordis anxietas ac δυσφορήσεις oriuntur.

5. In exploratione pulsûs, *arteria celeriter distenditur & contrahitur.* Particulis sc. salinis, acribus, peregrinis, & sulphureis sylvestribus cordi infusis, ibique magis explicatis, & fortius cum sangvinis & seri particulis motis nimium quantum rarefit sangvis, & sulphur ejus intenditur. Quid mirum igitur est, si corporis humani inquies mutetur, seu pulsus citatior evadat?

 6. *Do-*

6. *Dolet caput.* Malignis vaporibus ſublimatis, & ipſo ſangvine acri efferveſcente ad cerebrum delato meninges punguntur ac vellicantur, vel ob ebullitionem & impetuoſum ſangvinis raptum nimiùm diſtenduntur. Hinc ſolutio continui in fieri, & conſequenter triſtis ſenſatio.

7. *Vigiliæ cruciant.* Svaves ἀναθυμιάσεις deficiunt, pori lymphâ vaporosâ non ſufficienter irrigantur, ut concidere & blandè obſtrui poſſint. Ut è contrario non infrequens eſt, ſi nempe ſulphur narcoticum eminentiori gradu ſimul excedat, & viſcoſitate ſuâ poros occludat, ſomnolentiam & affectus ſoporoſos in peſte negotium faceſſere; ita in præſenti ægro lympha charactere ſalino acri, volatili, ſigillata eſt, unde pori nimis aperiuntur, ſpiritus animales non irretiuntur, ſed in perpetuo ſunt motu, quam continuam ſpirituum ſui juris jam exſiſtentium activitatem vigilia excipit.

8. *Mens non conſtat.* Eccentricitas intellectûs ſpirituum animalium & lymphæ læſionem præſupponit. Vigiliæ, deliriorum mater, inprimis accuſandæ. Hæ nimiùm continuatæ lympham abſumunt, exſiccant, unde ſangvis jam tum efferveſcens magis accenditur, & ad cerebrum delatus non debito modo temperatur, hinc generationi ſpirituum animalium improportionatus cerebri regimen pervertit, varias anomalias, deliria excitat.

9. *Bubones in inguinibus apparent.* In adenoſis partibus miaſmatis virulenti particulæ, cum ſero communicatæ, promtiùs, quàm ullibi in corpore, deponuntur & aggeruntur. Hinc ſangvis, ab aſſumtâ theriacæ portione fermentatione quaſi novâ ipſi inſuper inductâ, ad difflationem auræ malignæ ita diſpoſitus eſt, ut natura ſatis robuſta venenum ad has partes amandare potuerit.

Porrò ut conſtet, quid dè ægroto ſperandum ſit, accedimus

dimus jam ad ipſa SIGNA PROGNOSTICA. Hæc ſunt triplicia, & reſpiciunt

I. EVENTUM morbi, quæ SALUTIS & MORTIS ſigna audiunt. Peſtis eſt morbus reverà magnus, periculi pleniſſimus. Pars princeps corporis afficitur, ſymptomata graviſſima urgent, κακοήθεια ſe implicat. Hinc prædictio difficilis, & omnium optimè huc *aph. 19. lib. 2.* quadrat. In peſte omnia ſigna ſunt infida, firmiſſima pro fallaciſſimis, optima pro ſuſpectis habenda, malum cum maximè blanditur, maximè nocet. Hinc Medico invigilandum, de eventu morbi nec temerè, nec timidè pronunciandum.

Nos ſalutis ſpe freti bono animo ægrum eſſe jubemus. In flore enim ætatis adhuc conſtitutus 40 annum agit. Pro morbi vehementiâ, facilis adhuc tolerantia, pulſus celer facultatem robuſtam indicat. Reſpiratio benè ſe habet, quod ſignum optimum, nec non infallibile utplurimum in peſte exiſtit. Abſunt dira illa ſymptomata, quæ aliàs in caſu deſperato conjungi ſolent, ut ſunt hæmorrhagiæ, dyſenteria, vomitus continui, ſudores frigidi &c. & licet anxietas, dolor capitis, vigiliæ & deliria infeſtent, hæc tamen medici operâ mitigari poſſunt.

II. TEMPUS EVENTÛS. Peſtis eſt morbus acutiſſimus, hinc, prout vel ſævior, vel mitior, ſæpe die 1. 2. 3. 4. & ſeqq. non ultra tamen 14. diem facilè necat. Nos, bono cum Deo, adhibitis commodis medicamentis ægrum brevi priſtinæ ſanitati reſtitui poſſe putamus. Inſigne robur expultricis offendimus, malignitatem ab ipsâ jam ferè evictam eſſe indicio eſt, quod veneni pars ab internis & principibus partibus ad externas protrudi cœperit.

III. MODUM EVENTUS. Hic varius eſſe conſvevit, miaſma enim venenoſum ad externas & debiliores partes propulſum vel in carbunculum ſeu anthracem, vel

in

in bubones, vel in exanthemata & varia luis pestiferæ stigmata alia transit, quorum causas, modum generationis, periculum majus vel minus adjunctum, accuratè exposuit *VVillisius l. c. cap. 3.* Gratulamur ægro nostro, quod salutariter veneno ad utraque ingvina (loca commoda & minimè periculosa, respectu cœterarum adenosarum partium, sc. tonsillarum, axillarum &c. idque ob partes nobiles vicinas, ad quas aliàs propulsio fieri consvevit) translato tumores seu bubones à theriacæ usu subsequente statim die exorti sint, qui interius continuatis sudoriferis & externis medicamentis commodis applicatis facili negotio ad maturationem perduci poterunt.

In tempore venire omnium rerum primum est. Si unquam citâ ope opus est, eandem sanè pestis expetit, si enim heîc bene agendi occasio negligatur, spes decollat. Acceleranda itaque & maximè maturanda est CURATIO, ut quàm citissimè malignitatem expugnemus, ægrumque periculo, in quo versatur, maximo eripiamus. Ipsa juxta svetam medendi methodum INDICATIONE absolvitur 1. CURATORIA, quæ pestis ipsius & symptomatum urgentium ablationem procurat, 2. PRÆSERVATORIA, quæ causam respicit, & 3. VITALI, quæ archeum roborat & facultati vitali prospicit. Huic triplici intentioni inserviunt armamentaria tria, media commoda & arma ministrantia.

Ex CHIRURGIA se sistit VENÆSECTIO quæ an locum possit habere, attendi meretur. Hæc sanè uti iis, qui â peste præservari volunt, sæpe periculosa, ita ipsâ jam laborantibus summè noxia est. Penitus itaque rationibus & autoritate exercitatissimorum in arte virorum inducti ipsam damnamus. Et licet non desint, qui felici cum successu aliquando venæsectionem celebrarunt, factum tamen id est, statim in principio, viribus adhuc constantibus, sup-

pressio-

pressione quadam sangvinis insigni, aut summâ plethorâ præsentibus, aliisque circumstantiis, omnibus benè pensiculatis & summâ cautione insuper adhibitâ, inque regionibus calidioribus. Nos frigidiori climati subjecti consultò ab hâc cruentatione abstinemus, præcipuè si (quod in nostro ægro valet) natura suæ conservationis amans expulsioni miasmatis maligni ad loca commoda cœperit insistere: metus enim hîc est tùm ne ipsa in laudabili opere interturbetur, &, dum balsami vitalis privationem spirituum imminutio, hanc virium omnimoda prostratio exciperet, ita debilitetur, ut dein oppugnandæ malignitati impar evadat & succumbat; tùm ne etiam malignitas à περιφερία ad centrum magis trahatur & flamma vitalis citiùs suffocetur. Nec, ut secus sentiamus, nos movet ægri vel ætas adhuc florida, vel habitus corporis carnosus, vel temperamentum ipsum sangvineum.

SCARIFICATIONEM coxarum & brachiorum in adsvetis commendant quidam habitâ simul ratione plenitudinis, nos verò hujus auxilii non indigemus.

Chirurgia infusoria huc etiam spectat, quâ medicamenta alexipharmaca ad citiorem operationem per siphonem venis injiciuntur, vid. *Rolf. O. & M. comm. pag. 934.* sed, ne novi quid machinari videamur, ab hoc curioso invento hâc vice manus abstinemus.

Ex PHARMACIA sese offerunt primo loco PURGANTIA. Evacuationem quidam concedunt, si statim in principio instituatur lenis, purgantibus temperatioribus, alexipharmacis simul admixtis; imò necessariam esse existimant, cum sæpè constipatio symptomatica urgeat, humores pravi in corpore ita abundent, ut vim alexipharmacorum infringant, adeoque evacuatione modicâ præcedente bezoardica contra venenum potentiùs vim suam exserere

affirmant. Sed circumſpectione opus eſt, alvi illa adſtrictio aliis poteſt corrigi, humorum eductio eo ſaltim caſu convenire videtur, ſi certus ſis, peſtem à putredine ortam, ſive venenum in corpore genitum eſſe, quod forſan rarius. Facillimè alvi fluxus vel lethalis hoc modo excitari poteſt. Heic, ubi à contagio malum, purgantia proſcribimus.

Lenientia, quæ alvum apertam retinent, quod maximè in peſte neceſſarium eſt, tutiſſima ſunt, modò providè adhibeantur, intentione magis ſecundariâ, nunquam primariâ. Internè moderato uſu ſe commendant nitroſa, ⊕ ✱cale, ⊕ ♁atum & aloetica, abſtergentia & balſamica nobiliſſima. *Vid. Celeberrimi Dn. D. Giſeleri obſerv. de peſte Brunſv.*

℞. M*Pil. aloet.* ℈j. *extr. theriac.* gr. vj.
reſin. ſcamm. gr. iij. M. F. l. a. pil. S. Balſamiſche Pillen.

Clyſteres commodè in uſum trahuntur, qui ſimul blandos halitus vaporesq; humores in corpore temperantes & demulcentes de ſe mittunt, inprimis additis malignitati reſiſtentibus. Exeſſe debent ſalia & purgantia fortiora, ne ſtimulent & fermentationem in corpore augeant, e. g.

℞. *rad. malv. alth.* ã ℥iij. *ſcorzon.* ℥ß.
herb. branc. urſin. violar. ſcord. ã. mj.
fl. galeg. calend. chamom. ã. p. iij.
bacc. juniper. laur. ã. ʒij. *caric. pingv.* n. vj.
Coq. in ſ. q. aq. f. Colat. ℞. ℔j. *elect. lenit.* ℥ß. ⊕ ♁*iat.* ʒj.
vitell. ov. nj. M. F. l. a. enema.

℞. *rad. lil. alb. ſcorzon. angelic.* ã. ℥ß.
fol. malv. alth. rut. galeg. ã. mj.
fl. chamom. melilot. calend. ã. p. ij.
ſem. lini, fœn. Gr. ã. ℥ß.
Coq. in ſ. q. ▽ Colat. ℞. ℔j. adde *elect. diaphœnic.* ℥j.
☍ *rut.* ℥ß. M. F. Clyſter.

SUPPOSITORIA his ipsis præferenda esse & tutius usurpari posse autumat *Barbett. Tr. de peste.*

℞. *supposit. pro adult.* n. ij. *illinantur* ♂ *rut. vel amygd. dulc.* S. Stuhl-Zäpflein.

PURGANTIA verò ipsa fortiora alia vix ægro commendamus, præterquam si alvus obstructa urgentius solicitet opem, nec clysteres admittat æger, ubi sequens decoctum ex usu erit:

℞. *rad. scorz.* ℥ß. *sen. Alex. s. st.* ʒiij.
fl. 4. cord. a. pj. *cryst.* ♀ri ʒij. *passul. min.* ℥j.
D. in Chart. S. Laxier-Species quæ coqui in s. q. ▽ possunt & colat. ℥iij. pro vice assumi.

VOMITORIA in peste locum aliquando habere possunt, si venenum nondum massæ sangvineæ communicatum, sed adhuc in ventriculo & primis viis fomes hæreat, nausea & inclinatio ad vomendum urgeat, bubones nondum appareant, propinatis iis, quæ non nimis violenter, sed blandè vomitum cient, admixtis simul bezoardicis. Patet verò ab iisdem, ut inutilibus, quin potiùs noxiis, in ægroto nostro esse abstinendum. Dabimus tamen exempla eorum, quæ statim cum proclivitas ad vomitum insignis adesset, cœteris paribus, propinari potuissent. v. g.

℞. ♀i *emet.* gr. ij. *elæosach. citr.* gr. vj.
M. F. pulv. S. Brech-Pülverlein.

℞. ⊖ ⊕li ℈j. *elæosach. citri* gr. vj.
M. F. l. a. pulv. S. Brech-Pulver.

℞. ▽ *bened. Ruland.* ℥iß. *scorzon. card. bened.* ã. ℥ß.
fir. de scord. q. s. ad grat. M. F. Potio.

Ex DIURETICIS acida & nitrosa potissimum seligimus, ut & impropriè diuretica aquosa alia.

℞. ⊕ ♃iat. ℥ß. D. in ch. S. Kühlsaltz ins Bier / ungefehr in 4. Maaß.

 ℞. ⊕ per

℞. ⊕ *perlat.* ℨj. *mag. oc.* ♋. ℨß.
lap. bez. orient. ℈ß. M. D. in ch. S. Kühlpulver.

℞. Ræ *rof. viol. clyff.* ℔ *quat.* a. ℥ij. D. in vitr.

Ut taceamus alia ex potionum alterantium genere huc referenda. Sed cum ab hactenus propositis remediis solis parum opis aut salutis exspectare liceat, ad alia progrediemur, quæ immanem hanc belluam edomare ac prosternere valent. Et licet certum sit, verum & infallibile contra pestem remedium non dari, interim tamen ægrum prognostico minimè derelinquemus, sed latente specifico antidoto ad ea confugiemus, quæ per rationem & experientiam probatissima sunt. Sunt vero alexipharmaca, seu usitatius hodie bezoardica dicta, quæ putredini resistunt, & conjunctionem seu copulam sangvinis & seri conservant. Huc spectant (1.) *volatilia*, quæ sangvinis rarefactionem juvant, vitiosam corrigendo, motumque, qualitatem & consistentiam tutando, & quod præcipuum est, intimiorem malignitatem expugnando. Hæc in principio pestis, ubi natura ad auræ venenatæ expulsionem minus insurgit & primum sustinet impetum, longe nobilissima.

(2) *Fixa*, quæ rarefactionem nimiam impediunt & ita ichorescentiam & resolutionem sangvinis præcavent, magis in progressu proficua.

(3.) *Media* seu ex utrisq; fixis & volatilibus composita. Æger noster optimè suæ saluti consuluit, maturè ante cibum & somnum portionem theriacæ assumendo, unde fermentum malignum statim ad convenientissima loca propulsum est; sin secus fecisset, forsan ipsa, si cupivisset, salus prorsus non potuisset ipsum servare. Ut igitur curatio citò, tutò & jucundè fiat, singulis sex vel octo horis medicamenta DIAPHORETICA, alexipharmaca, propinanda sunt. Bubonibus utroque in ingvine jam apparentibus

non

non æger intempestivè & continuò ad sudorem ultra ἐυφορίαν cogendus est. Udor sæpè sufficit, solo sudore non tollitur venenositas. Contra ea leniter & blandè diaphoresin promoventibus, ut miasma malignum, vel porrò ad inguina deducatur, vel per insensilem transpirationem foras eliminetur, toto curationis tempore insistendum.

Opiata & acida etiam, reliquis maritata, quatenus virtutem diaphoreticam intendunt, optima. Hæc quatenus concentrant & penetrant, malignitati & putredini penitiori maximè sunt debita; illa methodo coactâ in vigiliis efferis & deliriis parcâ dosi & alexipharmacis mixta apprimè prodesse confirmat *Exc. Dn. D. Præses in Opiol. p. 100. & seq.*

Ex temperatioribus sese nobis sistunt *elect. Orvietanum, diatessaron, diascord. Fracast.* & præprimis haud ita pridem maximè celebrari cœpta *Confectio regia Augustanorum*, meritò in oculis habenda, aliaque, singula vel cum aliis vel per se ordinariâ suâ dosi exhibenda.

Quoad externam medicamentorum formam pulveres & potiones eligimus, electuaria, bolos, morsulos, rotulas & omnia nimis dulcia, utpote fermentescibilia, in peste cum *Heerio obs. 22.* rejicimus. Hinc medicamenta singula parcè edulcoranda. Sed ut ad formulas accessum faciamus, commendamus Diaphoretica volatilia & fixa, justo tempore & prudenti στοχασμῷ sibi invicem subordinanda.

℞. ~ûs *Corn. Cerv. viperar. essentif. theriacal. camphor.* a. ℥j.
⊖ *volat. succ.* g. v. M. D. in vitr. S. Schweißtreibende Mixtur. Dos. gtt. 30. 40. 50.

℞. ℞*æ bezoard. D. D. Præs.* ℥ij. ~ *CC. viperar.* a. ℈j.
M. S. vermischte Bezoar-Tinctur.

℞. ℞*æ bezoard. D. D. Præs.* ℥ij. *elix. pestil. Croll.* ~ *ebor.* a. ℈j.
extr. scorzon. mont. g. vj. *essent. anod.* ℈ß.
M. S. ut ante.

℞. *aq. card. bened. galeg. scorzon.* a. ℥j.
mist. simpl. ℈iß. *extr. scorzon. mont.* ℈ß. ♁ *bezoard.* ʒij.
sirup. de scorz. parum. M. S. Schweißtranck.

℞. *aq. prophyl. Barbett. rhizot. Zwinger.* a. ℥iß.
℞æ *bezoard. volatil. conf. de hyac.* a. ʒj.
sir. corall. ℚ. ʒij. S. ut ante.

℞. *aq. fl. calend. galeg. bezoard.* a. ℥j.
⊖ *volat. C. C. viper.* a. gr. x.
elect. diascord. ʒj. M. F. H.

℞. *aq. cord. H. S. frig.* ℥ij.
bardan. compos. scord. a. ℥j.
extract. zedoar. scorzon. a. gr. vj.
♎ *ebor. viperar.* ♀*i* a. ℈j.
spec. de hyac. pulv. bez. a. ʒß. *sir. cinam.* q. s. ad gr. M.

℞. *aq. card. bened. galeg. bardan. compos.* a. ℥j.
elect. diascord. Fracast. ʒiß.
extract. scorzon. mont. contrayerv. a. gr. vj.
conf. Alkerm. ℈j. ♁ *bezoard.* ʒß.
lap. prunell. ℈ß. M. F. Potio.

℞. *elect. diascord. Fracast. theriac. cœlest.* a. ʒß.
C. C. philos. ℈ß. ⊖ *volat. viper.* gr. v. *lap. bez. orient.* gr. iv.
sacch. parum. M. F. l. a. Bolus. S. Schwitzbißlein.

℞. *pulv. bezoard. D. D. Præs.* ℈iß. *bezoard. miner. simpl.* ℈j.
fl. ♃*is* ℈ß. *extr. scorzon. mont.* gr. iij.
M. F. pulv. D. in ch. S. Schwitzpulver.

℞. *C. C. philos. unic. animal. ver. Norweg.* a. ℈j.
♁ *diaph.* ʒß. *bez.* ☉*ar.* gr. vj. *lap. bez. orient.* gr. iij.
M. F. pulv. D. in ch. S. Bezoar-Pulver.

℞. *magist. spinar. viper.* ℈ß. *bez.* ♂*al.* gr. viij.
lap. bez. occid. gr. vj. M. F. pulv. S. Bezoardisch Schwitzpulver.

℞. *pulv. bez. Montagnan. spec. de hyacinth.* a. ℈j.
bez. min. ʒß. *fl.* ♃ *myrrhat.* ℈ß. *theriac. cœlest.* gr. vj.
M. F. pulv. S. Starck-Pulverlein.

℞. C.C.

℞. *C. C. philos.* ʒß. *bez. min. simpl.* ℈j.
⊖ *C. C. volat.* ℈ß. M. F. pulv.

℞. *pulv. bezoard. Sennert. bez. min.* a. ℈j. *ebor. s.* △ ℈ß.
lap. bez. orient. gr. vj. M. F. pulv.

℞. *pulv. Pannon. rubr. contrayerv.* a. ℈j.
boli Armenæ, ▽*æ Lemn.* a. ℈ß.
♁ *diaph. lap.* ♋ *ppt.* a. gr. xv. ⁰₀⁰ *citr.* gtt. j. M.

Subjungi & interponi possunt his ipsis ALTERANTIA & confortantia interna & externa alia, singula tamen ita moderanda, ut ubique malignitatis & veneni pestilentis habeatur ratio, unde etiam, cum dicta jam sufficere possint, parci in his erimus.

℞. *magist. C. C. ebor. spinar. viper.* a. ℈ß.
♁ *diaph.* ℈j. *fol. aur.* ß. M. S. Hertz-magisterium.

℞. *aq. scorzon. bugloss. acetos. acac.* a. ℥ij.
conf. alkerm. incompl. ʒj. R*æ viol.* ʒiij.
clyss. ♁*ii* ♁*rat.* ʒß. *sir. corall.* ♀. *acetos. citr.* a. q. s.
M. F. Julepus S. Hertz-Julep.

℞. *rad. scorz.* ℥ij. *contrayerv.* ℥ß.
hord. excort. mj. *berber. passul. min.* a. ʒvj.
ras. C. C. ebor. a. ʒij. Coq. in aq. font. s. q.
℞. colat. ℔ij. *sir. de scord. parum,* ~ ⊕*li philos.* q. s.
pro grato acore S. vermischt Gerstenwasser.

℞. *decoct. hord. usit. cum C. C. & rad. scorzon.* ℔ij.
succ. granat. acid. ℥ij. R*æ ros.* ℥ß.
facch. perlat. parum ad g. s. S. Alterier-Tranck.

℞. *amygd. d. ambros.* ℥ß. *sem. 4. frig. maj.* a. ʒj. F. l. a. cum
aq. prophylact. Sylv. analept. Rolf. cord. H. S. frig. a. ℥ij.
Emulsio. Colat. adde *lap. bez. occid. magist. C. C.* a. ℈ß.
sir. gemmat. q. s. ad gr. S. Hertzstärckende Milch.

EXTERNE locum habent varia prioribus subordinanda.

nanda. Aceta bezoardica pro odoratu & pro pulſibus ſunt optima.

℞. *ſpec. pro epithem. cord.* ℥ß. S. ſpecies zum Pulßſäcklein.

℞. *aq. carſ. aur.* ℥j. *bezoard. roſar.* a. ʒvj.
✠ *theriacal.* ℥ß. S. Pulßwaſſer zum Säcklein.

℞. ℅ *ſcorp. ſuccin. camph. citr. junip. angel. rut. ſalv.* a. gtt. vj.
corporis pro balſamo ſeu ℅ *nuciſt.* q. ſ. F. l. a. Balſamum.
S. Hertz-und Pulßbalſam.

℞. ℅ *antipeſt. Heniſii* ʒij. *theriac. conf. alcherm.* a. ʒß.
M. F. Linimentum, quo regio cordis, pulſus, tempora & plantæ pedum illinantur.

SYMPTOMATA concomitantia licet ſuccisâ peſtis radice facilè concidant, accidit tamen, ut quædam nimis urgeant, & cauſæ veſtem induant, quæ, inprimis ſi nimis conſtantia permanſerint, utique ſui mitigationem poſtulant. Commodè verò heîc in interna & externa, ut ſunt bubones, diſcerni poſſunt.

Interna cum ita ſe habeant, ut unum fermè ab altero dependeat, ut ſunt dolor capitis, vigiliæ, deliria, hinc & iisdem ferè corriguntur remediis.

℞. *aq. hypnot. Doncrell.* ℥iij. *cord. H. S. frig.* ℥ij.
pulv. cephal. Marchion. ſpecif. cephal. Mich. a. ℈j.
magiſt. anod. Rolfinc. gr. iij. F. Potio. S. Träncklein gegen die Nacht wol umbzurütteln.

℞. *ſem. 4. frig. maj.* a. ʒj. *papav. alb.* ℥ß. *pæon.* ʒij.
aq. ſambuc. ℥ij. *roſar. borrag. bugloſſ.* a. ℥iß.
F. l. a. emulſio. Add. *magiſt. C. C.* ℈ß. *matr. perlar.* ℈j.
ſir. papav. alb. parum. S. Schlaffmilch.

℞. *nucl. perſic.* ʒj. *ſem. papav. alb.* ℥ß.
▽ *verben.* ℥iij. *roſar. ſolan.* ā. ℥j. ⦶ *anod.* ʒj.
F. l. a. Emulſio. S. Euſerliche Milch zur Stirn.

℞. *ungv. de alabastr.* ʒij. *extract. theriac. croc.* a. gr. iij.
ol. scorpion. Matth. ℈ß. *lign. rhodin.* gtt. vj.
laudan. opiat. s. m. gr. ij. M. F. l. a. Linimentum.
S. Sälblein zum Schlaff.

Seorsim verò ad topica etiam bubonum spectat tractatio. *Internè* exhibenda & continuanda sunt sudorifera, ne scilicet retrocedant, vel natura desistat venenum ad loca hæc glandulosa propellere. *Externè* officium faciunt

1. *Attrahentia.* Huc referendæ sunt cucurbitulæ, quas tamen, cum bonos æquè ac malignos humores alliciant, & præterea dolorem & febrim accersere possint, meritò omittemus cum *Barbett. l. c.* nec vesicatoriis satis alioqui commodis opus erit, cum in expellendo tàm promptum se exhibeat archeus. Quidam saphiro saturatè cœruleo vel succino bubonem aliquoties circumducunt, donec circulus ater emergat, per quem tanquam caminum omne venenum exspirare sibi persvasum habent. Id verò frictioni & calori consequenti sine dubio acceptum ferendum. Alii bufonem (quem *Kircherus in scrut. pest.* contagiosæ virulentiæ bursam magneticam eleganter appellat,) exsiccatum, in vino maceratum, bubonibus apponunt, donec intumescat, dein primo rejecto secundum & tertium substituunt.

℞. *ferment. acerrimi* ℥iij. *bacc. herb. parid.* ℈ij.
farin. sinap. pulv. bufon. a. ℥j. *theriac.* ʒij.
cepar. sub ciner. coct. ℥ß. M. F. l. a. Cataplasma.

2. *Emollientia* & maturantia conveniunt, v. g.

℞. *rad. symphyt.* ℥j. *fol. malv. alth. alliar. scord. herb. Parid. rut.* a. mß.
fl. chamæm. melilot. ulmar. a. p. iij.
farin. sem. lin. ℥ß. *fœni Græc.* ʒij.
cep. ℥j. *caric. pingv.* n. iv.
Coq. in s. q. lactis ad putrilag.
Add. *croc.* ℈ß. *theriac.* ʒij. *mell. anthos.* ℥ß.
ol. scorp. ℥j. F. Catapl. S. Eusserlich Pflaster warm auffzulegen.

Cum verò cataplaſmata hoc vitii habeant, ut ob humiditatem citò refrigeſcant,& ita,niſi cautè procedatur,venenum repellant facilè, *empl. diachyl.* vel *ſimpl.* vel *compoſ.* commodè pro hiſce uſurpari poteſt.

℞. *empl. diachyl. c. gumm. magnet. A. S.* a. ℥ß.
elix. peſtil. Croll. vel ol. ſcorp. Matth. q. ſ.
M. F. magdaleon. S. Weichpflaſter.

Maturatione factâ apertio procuranda eſt, quæ inſtituitur phlebotomo, vel, hunc modum ſi averſetur æger, cauteriis potentialibus, inprimis alcalinis, quod longiori morâ eget.

Cavendum tamen eſt, ne intempeſtivè & nimis citò aperiantur & hinc indureſcant, quo in caſu,& ubi fiſtuloſum minatur ulcus, aliàs egregio uſu ſe commendat *ungv. Ægyptiacum* liquatum leni calore, vel pro poſteriori ſcopo ad ſpiſſitudinem majorem coctum.

Poſt apertionem evacuato pure emplaſtra mundificantia,ut *ſticticum, opotceldoch Paracelſ. Rolfinc.* conveniunt, aliaque uſitata.

Poſt hæc tandem ſarcoticis & epuloticis partes affectæ ad ſtatum naturalem reducendæ. Sed ne venenoſa qualitas in corpore relinquatur, quæ recidivæ & mortis cauſa dein exſiſtat, heîc iterum cautus ſit & Fabium potiùs agat, quàm feſtinet & conſolidationem præcipitet Medicus.

Conſultum itaque eſt, ad tempus bubones apertos ſervare turundis, *ungvento digeſtivo* vel ſolo, vel cum *ungv. apoſtolor. baſilic. theriacâ*, illitis.

DIÆTA ſuccedit, accuratiſſimè ægroto obſervanda.

In VITALI AER ſit purus, cujus corrigendi gratiâ ſuffitus inſtitui poſſunt. Deinde temperatus, ad caliditatem ta-

men magis, quàm frigiditatem vergat. Sic pori aperti servantur, ut materia maligna meliùs dissipari ac difflari possit. Calidus nimis anxietates adauget, vel parit, frigidus malignitatem ad cor retrocedere cogit & consequenter mortem accelerat. Inprimis post sudorem corpus aëri non exponatur.

IN NATURALI, VICTUS convenit temperatus & tenuissimus. Æger ad cibum non cogendus, natura, quæ cum morbo conflictatur, temerè ad πέψιν convertenda non est. Sufficiunt juscula avenacea, brodium & carnes pullor. gallinac. quæ condiri possunt succo citr. limon. passul. dactyl. vel aliis. Poma aurantia Portugalensia majora & minora, poma de chinâ vulgò dicta, in omni malignitate tutò concedi possunt, modò non ὀργασμὸς & liquatio humorum adsit, fluxum alvi datura. Gelatinæ v. g. eboris, cornu cervini citrata, egregiæ sunt, temperant fervorem sangvinis, ejusque consistentiam sartam tectam, ne diffluant plus justo fibræ, præstant.

POTUS non parcâ nimis præbeatur manu, sed sufficiens, quin æger, si ipse non postulet, ad eum invitandus est. Id quod aliàs in febribus malignis saniores facere Medicos rectè monet *Lang. in Miscell. cur. med. cap. 15.* licet enim tangenti calor blandus appareat; Vesuvianus tamen æstus interna urit viscera, omnemque humiditatem absumit, ob facultatem debilem ægro non advertente aut sitiente. Hinc serum restituendum est, ita tamen ut ne quid nimis. Cerevisia, si eâ delectatur æger, sit tenuis, alterata ℞*is rosar. viol. bugloss.* vel *spiritibus acidis*, ⊖*is striat. clyss.* ℥*ii* ♀*rat.*

Vitetur potus actu nimis frigidus, ut & vinum, quod tamen in jusculis, ubi per coctionem sulphur ex parte abactum est, ad refectionem concedi potest. Inter sudan-

dum ab omni cibo & potu se contineat, horâ verò unâ vel alterâ elapsâ iisdem se reficiat, sed parùm capiat.

ALVUS aperta servetur *Oxiato*, vel *arcano duplicato*, potui indito, quod simul malignitati resistit, sitim sedat, & per urinam materiam malignam, si eò inclinet, ex parte eliminare potest.

In ANIMALI, VIGILIÆ nimiæ arceantur, SOMNUS provocetur, secundariâ tamen magis intentione, opiatis, emulsionibus hypnoticis, admixtis bezoardicis. Sumto verò bezoardico sudorifero patiens non statim sese ad somnum componat, ut spiritus agiles actuationem medicamentorum adjuvent.

ANIMI PATHEMATA moderata sint, excandescentia, terror exulent, non tristetur aut de convalescentia desperet æger, ne per hanc imaginationem malignitas cum spiritibus promptius ad cor rapiatur; Medico obsequens sit in omnibus, & in primis post Deum CONFIDAT.

FINIS.

Danieli Henrico Ulrici suo

S. P. D.

Georg. Wolffg. Wedelius.

INter reliquas nummorum Veterum inscriptiones illa quoque memoratu digna est, quæ honori militum debetur, non rarò enim signis militaribus alterâ facie junctum videas: GLORIA EXERCITUS, testimonio publico, benè actæ rei, concordiæ, fidei, victoriæ, quæ seorsim quoq́ue in aliis leguntur.

Non ineptè id togatæ militiæ applicari potest, & honori ac memoriæ tribui, si quis in Academiis studiis laudabiliter dederit operam, si impollutus à vitiis juventu-

tis,

tis, otio, luxuriâ, negligentiâ, ebrietate, levitate, & aliis vitam exegerit, ſi converſatione eruditorum uſus fideliter. Hæc ſanè nomina peplo Minervæ inſcribi merentur, addito lemmate: GLORIA STUDIORUM.

Olim, teſte *Ammiano Marcellino*, pro omni experimento medico ſufficiebat ad commendandam artis autoritatem, ſi Alexandriæ ſe dixiſſet eruditum. Eſt aliquid, imò multum refert, ut à medicinæ ſacris imbuendo inveniatur τόπος εὐφυὴς *locus ſtudiis aptus*; id verò non ſuffecerit, ſi reliqua non conſenſerint, ἡ φιλοπονία, ἡ ἄσκησις, ὁ χρόνος, *ſedulitas*, *exercitatio*, *tempus*, inter requiſita ſtudii medici à divino Sene *l. de lege*, *c.* 11, *t.* 13. repoſita.

In

In Te refulgent singula ista. Vixisti nobiscum plures annos unis moribus, temperatis iis ac moderatis, nunquam mutatis legibus, quas virtus singularis ingenii sagacissimi præscripsit. Nullum Tibi otium fuit, quàm honestum & negotiosum, seu montes & sylvæ ubere Floræ proventu superbientes Te secum viderint, seu recreandis spiritibus pausam aliquam seriis dederis studiis, seu molliveris medicis intentum animum divinâ mathesi.

Exercuisti & apparasti animum pluribus vicibus ad graviora, per anatomen, per chimiam, per selectos casus aliaque artis nostræ præsidia, non perfunctoriam sed solidam nactus scientiam.

Id-

Idque ſufficienti tempore, quo omnia iſta peragi potuere, ut dubium ſit, an ad commendandam artis autoritatem Salanam noſtram Tu laudare magis debeas, an Te illa in exempli vicem, quid apud nos agatur.

Cedat hoc ſpecimen, quod publicè proponis, in ſtudiorum Tuorum gloriam tantiſper, donec pleno imbre & publici honores caput exornent, & alma medicina hinc divite copiæ cornu compenſet labores. Dabantur è muſeo, Jenæ. M DC LXXXI. III. Cal. Mart.